

in perpetuum. Quamquam Regia sublimitas generosa circa universos suos fideles ministros ex innata sibi Clementia liberalis existat; ad illos tamen, quos pro suis honoribus ferventius desudasse agnoverit, dexteram suae munificentiae extendere et eos eximiarum praerogativarum honore merito tenetur illustrare. Hac igitur ratione salubriter amoniti, praesentium & futurorum notitiae clarescere per haec scripta volumus, laudabilem constantiam fidelitatis, & strenua multifaria servitiorum obsequia fidelium nostrorum Baboneg (Babonić) et Stephani Comitum de Vodicha, filiorum quondam Comitis Stephani de Gorichia, quos veriloquax praeconii fama et veritatis experientia de originali Domo et Stirpe generosa Ursinorum Romanae Urbis Senatorum propagatos testatur. Nam inter caetera eorum laudabilia servitia, quae praesentibus stili officio taediosum esset denotare, sed memoraliter nostro cordi existunt inculcata; cum nos divino monitu versus terram sanctam sepulchri nostri Salvatoris ad defendendum in Brachio potenti, salubri cum prosperitate profecti fuisset; idem Comes Stephanus, frater dicti Baboneg, non monitu nostro angariatus, quinimo clarae fidelitatis voto instinctus, ad nostrum decus, cum suis, et eiusdem fratris sui proximis familiaribusque notabilibus, satis honesto coetu & congruo armis condecenter fulcito, equitibus ducentis & quinquaginta, pecuniarum ipsorum propriarum in expensis, per iter continuum nostro felici in aditu et reditu nobiscum procedere, diuturna quoque & nocturna temporis nostri in custodia persistere, gravesque labores sufferre, cum totali quippe animi sui fervore, claraeque sollicitudinis, et eximia fidelitatis puritate nobis adesse atque ministrare non dubitavit. Ob quorum itaque expertae fidelitatis constantiam et servitiorum praescriptorum merita, considerantes etiam ipsos de praedicta nobili Ursinorum prosapia propagatos fore, Baboneg et Stephanum fratres praedictos ipsorumque haeredes ac successores universos, in praefato eorum Dominio Vodicha, quod piae memoriae quondam Henricus Rex, noster Praedecessor, de Commissionem quondam divi Regis Belae patris sui, dicto quondam Comiti Stephano de Goricha et suis haeredibus pro fidelibus servitiorum suorum meritis, ut ex tenore ipsius Henrici Regis litterarum collegimus, in perpetuum dedisse testatur; quodque Dominium nos ejus novae nostrae donationis nomine denuo, ad humillimam ipsorum supplicationem, universis etiam haeredibus et successoribus eorum perenniter dantes atque donantes confirmamus, nec non insuper et in caeteris possessionibus quibusvis per ipsos vel eorum haeredes et posteritates acquisitis atque acquirendis, aequo et justo more, auctoritate plena ac potestate nostra Regia, Solium Regale considentes, Prelatis atque Baronibus et Proceribus erga nos existentibus ipsis annuentibus ac eorum de maturo consilio, facimus atque creamus, fecimusque & creavimus, tituli veri illibati et eximii Comites liberos; taliter et adeo, eoque modo, ut ipsi in perpetuum rato ordinationis et institutionis ac creationis nostrae prenotatae vigore mediantes possint atque valeant liberaliter uti, frui atque solemniter gaudere, singulis atque universis ritibus, immunitatibus, generosaque conditionis proceritate, nec non quarumvis libertatum majorum et minorum, generalium et praecipuarum, eximiarumque, praerogativis atque gratiis, quibus praecipue caeteri quidpiam veri, eximii ac liberi Comites Regni nostri, aut in aliis quibuscunque Regionibus constituti, uti atque gaudere dignoscuntur. Praesertimque insuper etiam eidem Baboneg et Stephano, et cunctis ipsorum haeredibus, hanc de plenitudine